

positum nostrum, jactantiae simile videbatur, non operiri tam proximum feriarum tempus, sed de publica professione, atque ante oculos omnium sita ante discedere, ut conversa in factum meum ora cunctorum intuentum, quam vicinum vindemialium diem praevenire voluerim, multa dicerent, quod quasi appetissem magnus videri. Et quo mihi erat istud, ut putaretur, et disputaretur de animo meo, et blasphemaretur bonum nostrum? Quin etiam, quod ipsa aestate literario labori nimio pulmo meus cedere cooperat, et difficulter trahere suspiria, doloribusque pectoris testari se saicum, vocemque clariorem productioremve recusare, primo perturbaverat me, quia magisterii illius sarcinam paene jam necessitate deponere cogebat: aut si curari, et convalescere potuissem, certe intermittere. Sed ubi plena voluntas vacandi, et videndi, quoniam tu es Dominus, oborta mihi est atque firmata, nosti, Deus meus: etiam quam gaudere coepi, quod haec quoque suberat non mendax excusatio, quae offensionem hominum temperaret: qui propter liberos suos me liberum esse nunquam volebant. Plenus igitur tali gaudio, tolerabam illud intervallum temporis, donec decurreret, nescio utrum vel viginti dies erant, sed tamen fortiter tolerabantur, quia recesserat cupiditas, quae mecum solebat ferre grave negotium, et ego premendus remanseram, nisi patientia succederet. Peccasse me in hoc, quisquam servorum tuorum fratrum meorum dixerit, quod jam pleno corde militia tua passus me fuerim, vel una hora sedere in cathedra mendacii. At ego non contendo. Sed tu, Domine misericordissime, nonne et hoc peccatum cum caeteris horrendis et funereis in aqua sancta ignovisti, et remisisti mihi?

CAP. III. VERECUNDUS CONCEDIT ILLI RUS SUUM.

Macerabatur anxietudine Verecundus de isto nostro bono, quod propter vincula sua, quibus tenacissime tenebatur, deseriri se nostro consortio videbat, nondum Christianus,